



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput L. Sequitur, quod pertinet ad quartum Virtutum signum, nempè de
reformatione Monasterij B. Meinulphi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

deretur, nec eam nisi interposito velo intueri valerent, sic devotus Sacerdos Christo per bonam vitam incorporatus postquam celebraverit, in tantum in interioribus suis fervet, & ardet ex devoto confortio, quod cum Domino in monte Altaris habuit, ut ejus conversatio velut cælestis Angeli omnibus acceptabilis, & exemplaris esse videatur. Contrarium verò est de illis, qui se ad celebrationem Missæ negligenter, & somnolenter præparant, nam hi, qui agustum specialis gratiæ circa eandem celebrationem non percipiunt, ideo sicut aridi & impræparati ad cælestia Sacramenta peragenda accesserunt, sic & aridi ab Altari recedunt, ut illorum conversatio finitis Sacrificijs manifestè prodit.

CAPUT XLIX

De ejus magna Credulitate ad Venerabile Sacramentum.

QUadam vice dum idem Prior propter magnam corporis sui debilitatem de ulteriori vita sua desperaret, & communicare jam vellet, Venerabile Sacramentum sumpturus dum proposita ei fuit Eucharistia, & interrogaretur à ministrante Sacerdote: credisne quòd sit Christus Salvator mundi in hoc Venerabili Sacramento contentus? Prior ex credulitate & fervore, quem ad Christum habuit, non suffecit, respondere *credo sed scio* responderebat. O qualis vir! quàm credulus ad istud Venerabile Sacramentum! prædictis ego Frater Joannes interfui, eaque audiui.

CAPUT L.

Sequitur, quod pertinet ad quartum Virtutum signum, nempe de Reformatione Monasterij B. Meinulphi.

ET quia pluralitas Laicorum, quos prædictus Venerabilis Pater susceperat ad regendum, ædificiorum augmentum requirebat, ideo idem Pater illud magnum ædificium versùs occidentem situatum fieri fecit, insuper versùs Aquilonem ligneum ædifi-

ædificium cum lapideo suo pede pro equis recludendis. Domum supra foveam stantem in opposito Dormitorij lapideam strui laboravit, ejus cum ipse fundamentalem lapidem ponere voluit, ante cum nonnullis Conventualibus in genua prostratus Dominum DEUM aliquamdiu propter erigendum ædificium implorabat. Dein ut nova porta Monasterij versus meridiem erigeretur similiter DEUM sollicitavit, & ovile super montem, qui vulgari lingua *Fridberg* dicitur, & domum in vicino ibidem pro opilionum habitaculo, insuper & in Villa *Ettelen* supra liberam curiam prædicti Monasterij munitiorem sive Granarium, & ovile cum annexa domo fabricari fecit, ut verò spiritualis vinea Domini DEI Sabaoth in Monasterio B. MEINULPHI intra montes jam plantata, & per Christum verum Agricultorem purgata ampliorem fructum ferat, necessarium fuerat, ut eadem vinea spirituali sua crescentia in longius palmites suos extendere non cessaret: quod ut fieret, quia supradictus Venerabilis Prior spirituales vitam, quam in præmemorato Monasterio jam jamque de gratia Dei benè institutam habuit & fundatam, ad remotiora loca libenter extendisset, Domino DEO piè disponente ordinatum fuerat, ut quidam Prælati ac Nobiles Comites, quorum ipse corda tetigerat, de diversis locis unus post alium Legatos suos cum Missionarijs ad præfatum Priorem destinantes humiliter eundem rogaverunt, quatenus pro acceptandis & reformandis Monasterijs ad eosdem versus partes Rheni ascendere non desisteret quovis modo, qui quia multum libenter pro animarum salute solitus erat Monasteria reformare, præmemoratos Prælatos & Comites de consilio & consensu sui Conventus cum gaudio cordis visitavit, & singulis circa acceptanda & reformanda Monasteria diligenter consideratis Capitulo suo Generali eadem considerata, ut hujusmodi Monasteria acceptare posset, promulgavit: quodque Capitulum, dum attenderat supradictum Priorem ad talium Monasteriorum receptionem multum inclinatum fore, precibus suis consensum, ut eadem acceptaret, tribuit, sicque factum fuit, ut non solum unum vel duo sed plura, quæ sequuntur, reformaverit. Denique quia supradicta spiritualis vinea Monasterij B. MEINULPHI ad quatuor mundi partes, videlicet ad Orientem, Meridiem, Occidentem & Aquilonem suos debuerat extendere ramos, idcirco Domino DEO piè disponente præmemoratus Prior primò

versus meridiem quatuor acceptaverat Monasteria. Primum erat Monasterium B. & gloriosæ Virginis Mariæ in *Hertsenhagen* situm in territorio Nobilium de *Eppensteen* Moguntiensis Diæcesis. Secundum Monasterium Horti gloriosæ V. Mariæ in *Hirtengartin* Diæcesis Wormatiensis. Tertium Monasterium B. Petri in *Heghen* situm in Comitatu de *Tinighen* ejusdem Diæcesis. Quartum Monasterium B. Mariæ Magdalenæ propè Confluentiam in *Insula* constitutum Diæcesis Trevirensis. At verò versus Occidentem Monasterium sanctis Salvatoris propè oppidum *Attendohen* Colonienſis Diæcesis, quod licet per Conventum Monasterij B. MEINULPHI antea acceptatum fuerat, tamen quia per negligentiam quasi omnino à disciplinari vita destitutum, supradictus Venerabilis Prior manum apponens validam idem Monasterium ad Regularem & bonum statum reduxit, versus Aquilonem sæpè dictus Prior Monasterium *S. Dyonisij* Diæcesis Mindensis accepavit, versus Orientem verò in *Volkmaria* Moguntiensis ipse Venerabilis Prior de novo instituit domum devotarum Sororum, quemadmodum & antea in Oppido *Lippſensi* consimilem devotæ Congregationis cum gaudio domum instituit. Latentur Cæli, quia has utrasque domos devotarum Sororum Domino DEO diligenter famulantium inhabitat multitudo. Ecce qualia & quanta bona ex alia spiritali vinea æterna DEI prædestinatione in Monasterio B. MEINULPHI complantata ad salutem plurimarum animarum processerunt, & quibus laboribus, & anxietatibus ob prædicta præfatus Pater involutus fuerit, non facile exprimi nec adumbrari potest, & non ad hæc omnia suscipienda, & perficienda gravia onera suffecisset, nisi supremus Dominus illum in hisce roborasset.

C A P U T L I.

De morte prædicti Venerabilis Prioris.

Postquam verò supradictus devotus Prior Monasterij B. MEINULPHI in decimum octavum annum strenuè rexit, pius Dominus, ut fidelis servus ejus magna ex parte ab hac vita purgatus iret, gravissimis pænis longoque cruciatu punivit eum circa finem
vitæ